

De tuberculosi : dissertatio inauguralis medica ... in Academia Fridericiana Halensi cum Vitebergensi consociata ad summos in medicina et chirurgia honores rite adipiscendos scripsit et die XVIII. mens. Decembr. a. MDCCCLVIII hora XII / una cum thesibus publice defendet auctor Ad. Fr. Leop. Stossmeister.

Contributors

Stossmeister, Adolphus Fridericus Leopoldus.
Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library

Publication/Creation

Halis Saxonum : Typis Orphanotrophei, 1858.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/aehkntbx>

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library at Yale University, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library at Yale University. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

25574, 179

3604

DE TUBERCULOSI.

DISSEBTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM

VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT

ET DIE XVIII. MENS. DECEMBR. A. MDCCCLVIII

HORA XII

UNA CUM THESISIBUS

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

AD. FR. LEOP. STOSSMEISTER

MOLHUSANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

AD. LIEBERKUEHN, MED. DOCT.

ADELB. RICHTER, MED. CAND.

HALIS SAXONUM,

TYPIS ORPHANOTROPHEI.

DE
TUBERCULOSI

DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

1850

IN ACADEMIA MEDICA

GRATIA MEDICORUM ORDINIS

1850

ACADEMIA MEDICA

1850

ACADEMIA MEDICA

1850

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

ACADEMIA MEDICA

ET DIR. X. DECEMBER 1. 1850

1850

1850

1850

1850

AD. TH. LEOP. STOSCHKE

1850



19th
cent
AC310.5

VIRO
DOCTISSIMO, HUMANISSIMO,

R. VOLKMANN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

IN UNIVERSITATE HALENSI PRIVATIM DOCENTI.

PATRI OPTIMO

ARCHITECTO MOLHUSANO

EQUITI ORDINIS AQUILAE RUBRAE.

SACRUM.

1870

DOCTORS OF THE UNIVERSITY OF

THE UNIVERSITY OF

THE UNIVERSITY OF

THE UNIVERSITY OF

THE UNIVERSITY OF

THE UNIVERSITY OF

THE UNIVERSITY OF

THE UNIVERSITY OF

Priusquam ad tubercula describenda transeam, adnotandum mihi videtur corpus neque affici morbis, neque gignere res a solitis plane alienas, sed id quod morbos vocamus, vel maiorem vel minorem esse corporis a legitimo statu declinationem. Qui status ita permutatus rursus res magis minusve legitimis qualitate et quantitate dissimiles procreet necesse est. Quare fere usque ad tempus novissimum neglecta, perturbatio exstitit magna etiam in describendis tuberculis et tuberculosi, quum alii alia morbi signa singularia se observasse dicerent.

Iam vero tubercula describere soliti sumus formas pathologicas, organisatas morbo vel locali vel generali procreatas, in mediis telis vel in earum superficie positas. Plerumque ex quo tempore accurate conspici possunt, ea forma, quam nomen ipsum indicat, apparent, magnitudine grani miliaris, colore cano, pellucida, magis minusve, dura et inter se seiuncta. Tubercula eiusmodi vocantur miliaria et cana. Iam multis tuberculis miliaribus confluentibus ea oriuntur tubercula, quae nos dicimus aggregata sive conglomerata. Praeterea autem in hominibus tuberculosi affectis alterum tubercu-

lorum genus plerumque una cum tuberculis miliaribus conspicitur. Quod genus alterum vocatur infiltratio tuberculosa, sive tubercula infiltrata. Utrumque tuberculorum genus recenter ortum ex cellulis constat, sed dum tuberculorum miliarium cellulae in acervulis magnitudine milii vel denuo in maioribus acervulis congregatae inveniuntur, tuberculorum infiltratorum cellulae nulla forma observata densae et inter se cohaerentes semper mediis intellis conspiciuntur. Quod ad reliqua attinet, tubercula et miliaria et infiltrata, cana, pellucida magis minusve dura sunt, tum habent, neque stroma neque constructionem fibrillosam, neque vasa, sed e contrario vasis vicinis proliferatione cellularum ingenti compressis ipsa impediuntur, quominus vel melius excolantur vel omnino integra persistent. Denique interitus eorum, qui metamorphosi caseosa efficitur, optimum fere est ex multis signis ad tubercula cognoscenda.

Tuberculorum quum cognitio, quae nunc valet, nondum exstaret, Foerster quatuor quidem tuberculorum genera microscopi auxilio se vidisse dicit, sed primum solum se posse tubercula vera habere et tria reliqua genera esse exsudata. Praeterea rem accuratius non illustrat.

Genus primum, illo auctore, eo insigne est, quod nuclei plerumque soli, rarius autem cellulis paucis permixti, in nodulis milii magnitudine compositi sunt. Quae tubercula inveniuntur saepissime recenter orta ex tuber-

culosi vel primaria vel secundaria. Adesso possunt et in mediis telis et in earum superficie. Semper ea formatione, quae a Virchow primo observata endogena nominabatur, ex cellulis legitimis oriuntur, id quod clare eo elucet, quod tubercula nonnulla plane exculta inveniuntur et iuxta cellulas, quarum nuclei se divisuri sunt, vel iam se diviserunt in duo, quatuor, vel adeo octo paria. Optime ea tubercula, ut Foerster describere pergit, conspiciuntur in glandulis lymphaticis, liene infantum, aliis locis. In membranis serosis latent in earum strato telae conjunctivae. In adnotatione annexa addit idem auctor, tubercula vera semper ex nucleis esse composita, reliqua autem genera aliis rebus permixta esse exsudata vel purulenta vel crouposa vel fibrinosa.

Genus secundum, quod ratione omnium rerum habita recenter ortum esse oportet, idem dicit, esse compositum ex nucleis, quibus opaca quadam et tenuiter granulata substantia circumdatis granula adiposa et nuclei corrugati sint admixta. Substantiam illam oportere exsudatum crude haberi.

Sed ex granulis adiposis et nucleis corrugatis, quae eodem auctore ex nucleis recentibus paulatim oriuntur, elucet, hic formas non ubique recentes conspici. Praeterea autem, Remak auctore, iam constat, nucleos ab initio liberos nusquam inveniri, sed qui nuclei liberi dicuntur, nuclei tantum esse possunt, quorum membrana cellularis vel ob tenuitatem non conspecta erat, vel ra-

tione aliqua interierat. In altero igitur genere utrumque factum esse potest, quum elementa adsint, neque ubique recentia neque ubique destructa. At de primo genere, quod ratione omnium rerum habita recenter formatum esse oportet, statuendum videtur, adfuisse quidem membranam cellularem, sed non esse conspectam, exceptis illis paucis nucleis, quorum membrana cellularis manu inquirentis ipsius deleta est. Substantia illa granulosa, quam Foerster exsudatum esse crudum contendit fere nihil ab illa substantia differt, quam Virchow inter cellulas telae cellularis sitam esse dicit et fortasse eodem iure, quo cellulae pathologicae ex cellulis legitimis oriri dicuntur substantia quoque illa granulosa proles substantiae inter cellularis esse potest.

Genus tertium, Foerster auctore, ex cellulis est compositum, quibus interdum substantia illa granulosa ad mixta est. Frequenter ea tubercula iuxta tubercula primi generis inveniuntur, ex qua re Foerster concludit cellulas illas nihil esse nisi nucleos amplius excultos, neque cellulas puris, quum pus saepissime in nullo alio loco inveniri posset, atque cellulae conspicerentur tantae, quantae impure nunquam.

Sed quum, Remak auctore, nuclei integri nusquam liberi sint, e re ipsa elucet, nucleos liberos non posse permutari in cellulas.

Genus denique quartum tubercula esse dicuntur, quae recenter formata, nonnullis guttulis adiposis ex-

ceptis nulla alia habent elementa, nisi substantiam illam granulosa, quaeque signis externis acutissimis et typhoidibus prodeunt in hominibus iam antea tuberculosi chronica affectis.

Signa autem externa acutissima et typhoidea solent in acuta tantummodo tuberculosi apparere, ubi Foerster ipso auctore permulta tubercula miliario distantia inter se fere pari per magnas regiones plerumque et multa organa sunt effusa.

Virchow quoque auctore genus alterum, tertium, quartum tubercula vera putare non possumus, in uno vero constituendum est, illas formas pathologicas esse ortas inflammatione quadam crouposa vel catarrhali. Item hepatisationes inflammatoriae et infiltrationes purulentae in materiam caseosam commutatae tubercula non possunt vocari.

Iam supra commemoratum est, nihil in corpore vivo modo oriri singulari, sed quaecumque pathologice orta vocamus, modo legitimo magis minusve mutato esse creata. Itaque iam is modus sive processus legitimus quaeratur necesse est, ex quo pathologico facto tubercula oriantur. Processus autem ille legitimus sive physiologicus alius esse non potest, ac nutritionis. Perpetuo enim omnia corporis vivi elementa egent materia ad nutriendum opta, ut longius in statu integro perseverent et prolem procreent. Ubi materia illa nutritiva vel qualitate vel quantitate permutata est, etiam elementa corpo-

ris iam facta et futura permutentur, numquam autem a prioribus plane aliena oriuntur necesse est. Quo facto processus ipse physiologicus paullatim abit in processum, ut ita dicam, pathologico-physiologicum, id est in processum, cuius quidem ratio eadem manet, cuius effectus remediis permutatis non idem. Iam vero Virchow dicit inflammationem esse nutritionis permutationem, quae concentu inter telam et sanguinem turbato ob exsudatum parenchymatosum, ut ille tum materiam nutritivam appellat, mutatum, insignis sit. Quo exsudato mutato vel atrophia vel hypertrophya telae morbo effecta gignitur. Hypertrophiae, quae sola in tuberculis oriundis spectari potest, variae statuuntur species. Altera species hypertrophiae est ea, qua elementa singula tantummodo amplificantur, altera, qua elementa singula augentur. Iam huius speciei elementa prioribus similia vel dissimilia esse possunt, quam ob rem hypertrophiam adesse homogenam vel heterogenam dicunt. Quae hypertrophiae species singula ea re oriuntur, quod corpora vel tota vel eorum partes vario sunt robore et irritamenta morbum ipsum gignentia sunt varia. Id vero constat, quo debilius corpus et quo acriora sunt irritamenta, eo dissimiliores legitimis et frequentiores sunt res coniunctis illis duabus conditionibus ortae. Etiam cellulae tuberculorum prioribus sunt non plane similes, id quod ex eo derivandum est, quia loca, quacumque gignuntur, maxime sunt debilitata. Inde ab initio tuberculorum formandorum

locus plerumque singulus adest, qui a partu vel post partum ita est debilitatus, ut irritamentis vel minoribus vel maioribus formae illae pathologicae procreari possint. Praeterea ille locus fere semper iam per se unus ex iis est, qui plurimis expositi sunt irritamentis. Ex quo loco singulo paullatim corpus fere totum ad tubercula procreanda disponitur morbo, quo gignuntur, locali non amplius, sed constitutionalis reddito. Initium verum tuberculi semper est exsudatum illud parenchymatosum, quo adaucto etiam nuclei cellularum aucti et membrana cellulari circumdati cellulam perfrangunt maternam et apparent iam ipsae cellulae vel nulla forma, vel forma tuberculosa propria.

Sic omni iure processum, quo tubercula gignuntur, inflammationem vocare possemus, sed quum inflammatio sit significatio amplissima, praeterea autem, quum significatio „Inflammatio tuberculosa“ ad alias res denotandas adhibeatur, melius videtur, illo verbo non uti.

Neque ulla fere pars corporis adest, ubi tubercula nondum conspecta sunt, item neque vetus neque nova tela, neque legitima neque pathologica plane tuta est a tuberculis. Attamen originem tuberculi fere semper ex tela cellulari sive coniunctiva factam esse cognoscimus, tum etiam ex epitheliis. Hinc modo non tam aperto omnes telae vicinae affectae intereunt et ossa et cartilagine et tendines, alia, modo lentius, modo celerius.

Cellulis tuberculorum celerrime plurimis ortis earumque copia vasis et vicinis et ipsorum compressis fit tanta humoris untritivi inopia in iis et in legitima tela inclusa vicinaque, ut pereant necesse sit. Iam interitus eo efficitur, ut elementa paullatim collapsa in detritum molecularem commutentur. Tempore haud ita multo peracto, docti eum metamorphosin esse solorum tuberculorum vel potius res illa metamorphosi procreatas esse tubercula rati, metamorphosin appellabant phymatoideam (verbum graecum *φύμα* significat eam formam pathologicam, quam latine dicunt „tuberculum“). Iam vero, quum cognitum sit sententiam illam non valere, sed tubercula iam exstare, priusquam metamorphosis illa apparuisset; neque tubercula sola metamorphosi illa permutari, sed etiam pus, telam legitimam et pathologicam multa alia, auctores recentiores metamorphosin illam vocant caseosam, quia detritus ille molecularis caseo est simillimus.

Metamorphosis caseosa oriri coepit, quod cellulae ab initio canae, pellucidae fiunt opacae, flavae; eo tempore, quo membrana eorum cellularis nucleis dense apposita non amplius conspicitur, cellulae fiunt, minores, angulosae atque a Lebert in hoc statu appellabantur corpuscula tuberculorum. Lebert enim corpuscula illa signum esse singulare tuberculorum putabat. Tum guttulae nonnullae adiposae apparent. Hic vero animadvertendum est, degenerationem cellularum adiposam non

dependere ex metamorphosi caseosa, sed per se cellulas commutare. Denique id quod iam indicatum est, cellulae plane nullae conspiciuntur et solus detritus ille molecularis qui granulis permultis compositus et nonnullis guttulis adiposis commixtus est, invenitur. Hinc tubercula rursus vario modo permutari possunt.

Materia enim illa caseosa vel tota vel vestigiis minimis relictis resorberi potest. Tela quidem cellularis densata et vastata duritie cartilaginea invenitur in iis locis, ubi tubercula fuerant, sed quum illa tela etiam aliis causis praeter sola irritamenta tuberculis excitata, procreari possit tantummodo vestigia illa tuberculorum relictata rem certiore reddunt, praesertim quum vestigia illa in locis conspiciantur, ubi tubercula fere semper gigni solent. Quo exitu tubercula corpori plane innocua redduntur et, nisi tuberculosus tubercula gignere pergit, sperare possumus fore, ut valetudo corporis optima redeat. Qui exitus rarus et fere tantummodo in stadio primario tuberculoseos inventus Obsolescentia appellatur.

Alter exitus materiae illius caseosae est degeneratio calculosa et adiposa. Iam paullatim pluribus guttulis adiposis et pluribus granulis calculosis collectis materia flavula et pulti calculosae simillima conspicitur. Tubercula ita permutata aut removentur omnino ex corpore vel ex loco solo, ubi orta erant, aut in priore loco restantia etiam amplius permutantur. Illud plerum-

que eo modo fit, ut inflammatione ulcerativa tuberculorum irritamentis excita telae proximae deleantur et maior vel minor exitus gignatur vel in alias corporis partes vel in eius superficiem. Iam processum materiae caseosae ex corpore removendae vocare solent eliminationem, qua eliminatione tubercula corpori plane innocua redduntur. Quo facto si tuberculosis eodem tempore sistit et nondum tanta organorum spatia sunt destructa, quantis ad longius vivendum corpus carere non potest, satis spei adest, fore ut valetudo redeat bona. Sin vero tubercula exitu inflammatione ulcerativa facto in alia corporis loca transmissa sunt, sicuti in cavum peritonei vel pleurae, inflammationes saepe vehementissimae, quibus plurimumque mors efficitur, gignuntur.

Iam plurimis granulis calculosis in materia tuberculosa collectis et humore magis magisque una cum guttulis adiposis remoto, materia illa fit minor et durior. Proliferatione vicinae telae cellularis tubercula paullatim includuntur, et nisi processus novus est impedimento, inclusa per totam vitam in corpore remanere possunt. Saepissime hic tuberculorum exitus in hominibus proVectioris aetatis invenitur ita, ut Rogée auctore in quinquaginta fere ex centum cadaveribus concrementa eiusmodi calculosa conspiciantur.

Tuberculis et tela inclusa paullatim intereuntibus et a vicina tela integra se seiungere incipientibus excavatio efficitur, quae tubercula emollita etiam longius in-

cludit vel tuberculis remotis omnino inanis invenitur. Quae si excavatio ab omni parte organorum tela circumdata est, id quod in mediis organis semper fit, vomica sive caverna, si in superficie posita est, ut in larynge saepissime, potius ulcus vocatur. Rokitansky nominat ulcus tuberculosum simplex sive primarium excavationem, quae orta est tuberculo singulo una cum tela inclusa deleta, ulcus autem secundarium excavationem, quae adhuc ulcus foret simplex, nisi tubercula nova in pariete laterent, vel quae novis illis tuberculis gignitis magis minusve est amplificata. A caeteris auctoribus tantummodo ulcus tuberculosum constituitur, quod fere idem est atque ulcus illud tuberculosum secundarium. Iam intervallis minoribus vel maioribus interpositis semper nova oriuntur tubercula, quibus una cum tela inclusa et vicina destructis vomica gigni potest, cuius magnitudo initio grani miliaris, nisi homo prius interierit, ad pulmonis lobi totius crescit magnitudinem. Optime vomicae milii magnitudine in intestinis inveniuntur, rarissimo autem in pulmonibus, ubi vomicae ex tuberculis plerumque aggregatis ortae maiores sunt. Vomicae autem magnitudine maxima praecipue in pulmonibus efficiuntur. Tuberculis non amplius procreatis neque alio processu impediante, vomica degeneratione tuberculorum calculosa vel cicatrisatione sanari potest.

Tubercula primaria et secundaria iisdem modis possunt permutari excepta obsolescentia, quae tantum-

modo in tuberculis primariis permutandis observatur. Etiam stadia tuberculi varia eodem adesse possunt tempore ita, ut altera tubercula in calculosam et adiposam degenerationem progrediantur vel progressa sint, altera recenter sint formata. Sic quoque in pariete vomicarum, quae calculosa tuberculorum degeneratione sanata erant, saepe nova oriuntur tubercula. Denuo ea permutantur matamorphosi caseosa et materia calculosa parietem vomicae obtegens simul destruitur et plerumque una cum novis tuberculis emollitis fragmenta calculosa ex corpore removeri possunt. Quae si in pulmone cernuntur, et tubercula per bronchum in vomicam versus patentem una cum calculis removentur, Phthisin adesse calculosam priore tempore dicebant. Vasa sanguinea maxime processui destruenti resistentia saepissime liberi funiculi ab altero ad alterum parietem traiectione conspiciuntur. Ex quibus vasis denique corrosio, si nondum obsoleta, sed adhuc sanguine sunt impleta, haemorrhagiae illae proveniunt, quae saepissime iam vitam hominum tuberculosi affectorum finierunt.

Irritamentis, quibus tubercula ipsa procreabantur et irritamentis tuberculorum ipsorum inflammatio in tela vicina semper gignitur. Quae inflammatio diversos habere potest gradus vel apparendi modos. Efficitur enim inflammatione nova tantummodo tela cellularis vel una cum tela cellulari suppuratio et ulceratio. Quia in nova tela cellulari, quae tubercula dense circumdat, etiam

nova procreantur vasa et vasa omnino ad res liquidas resorbendas necessaria habentur, tela cellularis nova una est ex conditionibus, quibus tubercula resorberi et plane innocua reddi possunt. Tela cellularis sola fere tantummodo gignitur in primis stadiis tuberculorum formationis. Suppuratione et ulceratione praecipue fieri videtur destructio illa omnium telarum tuberculis affinium. Tum organa fere tota saepe corrumpuntur; vel exitus fiunt in cava corporis magna, ubi dissolutione tuberculorum, puris, telae legitimae trajectorum tam vehemens plerumque efficitur inflammatio membranarum serosarum, ut vita plane non possit amplius degi; vel denique exitus illi usque ad corporis superficiem extenduntur, qua re sola tubercula ex corpore removeri possunt et illi processus corpori esse commodo.

Virchow auctore tuberculosi^s est morbus localis et haberi potest loci affecti imbecillitas, quae proprio proli procreandae modo insignis est. Plerumque tuberculosi tubercula gignuntur, sed id non necesse est, quum prima morbi stadia adesse possint, ubi exsudatum permutatur, vel exsudato permutato cellulae solitis dissimiles oriuntur. Ut multi alii morbi locales paullatim per omnes corporis telas effundi possunt, sic etiam tuberculosi. Plane falsum est, tuberculosin inde ab initio esse dyscrasiam dicere, quum ille morbus in telis neque in sanguine mutatis positus sit. Postremo quum morbus glandulis lymphaticis et lympham ipsa per totum fere cor-

pus effusus est atque tubercula simul in multis locis formata conspiciuntur, dyscrasiam adesse contendere possumus, quamquam sanguinis partes re vera mutatas esse nondum adhuc demonstratum est. Prioribus temporibus putabant tuberculosin morbum esse tantummodo pulmonum. Quae contentio hoc tantum veri habet, quod tuberculosi frequentissime pulmones afficit, sed non solas.

Etiam externa signa fere omnia, quibus tuberculosin adesse concludi potest, indicant imbecillitatem, qua, quominus organa irritamentis imminantibus satis resistent, prohiberi videntur. Ab initio quidem morbi signa fere nulla adsunt externa, tuberculosi autem progressa numquam absunt. Iam tuberculosi decurrit modo fere hoc. Loco quodam ad tuberculosin disposito, exsudatum eius parenchymatosum mutatur et cellulae novae specie priori haud plane simili gignuntur. Quo facto tuberculosin adesse Virchow vult. Denique plerumque tubercula ipsa oriuntur eaque fere semper ab initio singula. Sensim sensimque plura proveniunt tubercula, quae vel cum prioribus confluent, vel ab illis seiuncta sunt. Inflammatio fere simul cum iis exorta, ut iam dixi, minus suppurationis et ulcerationis, quam originis novae telae cellularis causa est, cuius telae auxilio caeteris conditionibus faustis tubercula saepe innocua redduntur. Deinde etiam plura tubercula per maiores effunduntur regiones, functiones organorum tuberculis occupatorum

magis magisque perturbantur, tum etiam suppuratio et ulceratio accedunt et parenchyma organorum destruitur. Tuberculosis eiusmodi chronica per annos adesse posset, nisi vel exacerbationes, quas dicunt, in tuberculis formandis vel alii morbi intercurrerent. In exacerbationibus illis febris apparet vehemens, quae saepe morbum alium acutissimum simulat, corpus celerius macescit, tubercula frequentiora in locis amplioribus gignuntur et more solito citius dissolvuntur. Telae ipsae vicinae, inflammatione vehementi plerumque simul exorta, celerius destruuntur et iam multo minus adest spei, fore ut homo ad valetudinem redeat. Paullatim signa fere omnia vehementiora abeunt et tuberculosis plerumque decurrit, ut antea, chronice. Exacerbationes eiusmodi plures apparere possunt et, si tuberculosi ipsa mors efficitur, id exacerbationibus fere solis fit. Exacerbationes autem dicere solent impetus vehementiores tuberculoseos chronicae. Iam tubercula non solum in singulo loco, sed simul in multis gignuntur, quo facto tuberculosis ab initio localem vocare solent constitutionalem sive secundariam. Denique nisi homo prius interierit, tuberculosis illa profert signa, quibus coniunctis tuberculosis, ut dicunt, acuta efficitur: hic tubercula simul in multis organis formantur, neque rarissima, neque longis intervallis, sed plurima et paene eodem tempore. Tuberculis etiam in pia matre procreatis illa oriuntur symptomata typhoidea, quibus saepe difficillimum fit diiudicatu,

tuberculosis adsit an typhus. Tubercula celerrime orta permutantur celerrime, quam ob rem iuxta tubercula recentia plerumque conspiciuntur tubercula metamorphosi caseosa iam commutata. Quae ad tubercula omnino pertinent, putari potest, quo celerius oriantur, eo celerius dissolvi. Rarissimo tuberculosis statim ab initio est acuta, quo facto tuberculosin non fuisse morbum localem, sed statim constitutionalem contendere possumus, nisi Virchow duce putamus tuberculosin localem eiusmodi exstitisse, quae tubercula nondum procreasset, sed tantummodo exsudatum parenchymatosum et cellulas mutasset.

Unum ex symptomatibus tuberculoseos gravissimis est febris. Ab initio quidem fere semper deest, sed, simulac apparuit, fere numquam plane desistit, nisi tuberculosis ipsa sistit, vel plane finita est. Primum febris plerumque tam levis est, ut saepe non cognoscatur. Omnino fere semper eadem est, atque formatio tuberculorum. Quo celerius enim et quo plura oriuntur tubercula, eo vehementior est febris et vice versa. Sic aestate, tempestate miti, conditionibus caeteris faustis et tubercula saepissime non amplius formantur, et febris desistit, plerumque autem conditionibus illis mutatis, revertitur. Prout febris ab initio vehementior vel mitior est, posteriorem tuberculoseos decursum vel faustum vel infaustum fere concludi posse putant. Quod facile intelligi potest, quum, ut febris ex omnibus fere processibus

pathologicis corporis vires maxime frangit, febris vehemens celerius et certius corpus destruat, quam mitis necesse sit. Ab initio febris semel per diem exacerbatur tempore vespertino, deinde corpore iam magis debilitato bis per diem tempore matutino et vespertino. Vehementissima esse potest febris in exacerbationibus, quas dicunt, semper autem est in tuberculosi acuta. Exceptis iis exacerbationibus et tuberculosi acuta febris vehementia plane non consentit cum amplitudine locorum iam destructorum. Simulac febris corpus affecit atque vires paullatim debiles factae sunt, Phthisin tuberculosam adesse dicunt.

Tuberculosis, simulac tubercula iam apparuerunt, plerumque in mortem exit, sed sanari quoque vel in morbos alios transire potest. Iam tuberculosis in omnibus stadiis sanata esse dicitur, quamdiu nondum tanta spatia erant destructa, quanta, si vita longius persisteret, non debebant; quin adeo tuberculosis acuta, quae res adhuc negata erat, sanata esse a Wunderlich narratur. Exitus in statum corporis plane priorem fieri non potest, postquam tubercula iam apparuerunt, quum tela, cui insunt, semper destruat vel obsolescat, numquam autem renovetur. Prae caeteris rebus sanatio dependet ex eo, quod tubercula non amplius gignuntur. Quo facto tubercula, quae iam aderant, innocua redduntur vel obsolescentia vel degeneratione calculosa vel eliminatione, et nullis aliis morbis relictis corpus redit ad valetudinem

bonam. Sanatio tuberculoseos rarior est, sed eo frequentior fit, quo provector est aetas, quo melior virium status, quo facilius caussae, quibus tuberculosi orta erat, removeri possunt, et quo minus graviora sunt organa, ubi tubercula formata sunt. Exitus lethalis efficitur organis totis destructis vel tantis eorum partibus, quantis ad vivendum corpus carere non potest, vel haemorrhagiis copiosis ortis, vel functionibus organorum ex parte vel omnino oppressis. Tuberculosis exit interdum in alios morbos, saepissime autem una cum tuberculosi adsunt alii morbi, quales sunt morbus Brightii, inflammationes varii generis, inanitio alii, ita ut mors multo saepius his aliis morbis, ac tuberculosi ipsa efficiatur.

Saepissime vel potius fere semper, ut iam dixi, inflammationes varii generis una cum tuberculosi prodeunt, quae, simulac res iis procreatae et metamorphosi caseosa permutatae sunt, vocantur tuberculosae. Quamquam ad sanandam tuberculosin, quid differant inter se tuberculosi et inflammatio tuberculosa, scire minus grave est, ad cognoscendam tamen gravissimum. Usque ad tempora recentiora morbi illi duo confusi sunt, quum omnis materia ex metamorphosi caseosa orta signum tuberculorum putaretur. Praecipue sibi simillimae sunt tuberculosi acuta et inflammatio illa tuberculosa vehemens, quam nos Germani dicimus galoppirende Schwindsucht, quam ob rem commemoratu dignum videtur, quid inter se illi morbi differant, et quid inter se habeant commu-

nia. Uterque morbus oritur, postquam tuberculosi chronica iam in pluribus organis tubercula erant gignita, uterque apparet cum febre vehementi et omnino acutis signis externis, uterque maximas organorum partes vastat, res ab utroque morbo procreatae metamorphosi caseosa commutantur, uterque vitam in periculum maximum coniecit. Eo tantummodo inter se differunt, quod tuberculosi acuta tubercula miliaria copiosa in multis organis gignuntur, inflammatione autem tuberculosa procreatur exsudatum fibrinosum cellulis permixtum, et quod in inflammatione tuberculosa non apparent tanta animi perturbati signa, quanta in tuberculosi acuta. Non minus raro, quam tuberculosi acuta nullis signis tuberculoseos praemissis apparet, evenit, ut inflammationes quoque tuberculosae tuberculosi non praesente inveniuntur.

Alia organa saepissime tuberculosi, alia fere nunquam; alia fere semper tuberculosi locali, alia fere sola tuberculosi constitutionali afficiuntur. Rokytansky quod ad rem posteriorem attinet, hunc ordinem, ex quo facile priorum ordo concludi potest, constituit:

Tuberculosi locali afficiuntur prae ceteris organis, pulmones et glandulae lymphaticae, tum organa uropoetica, membrana mucosa organorum feminae sexualium, ossa in iisque praesertim spongiosa, testes cum prostata et vesiculis seminalibus, rarissimo intestina, larynx, trachea, membranae serosae, lien, hepar, alia.

Tuberculosi constitutionali afficiuntur hominum adultorum plerumque pulmones, intestina, glandulae lymphaticae ex iisque praecipue glandulae iugulares, bronchiales, abdominales. Tum larynx, membranae serosae ex iisque plerumque pleura et peritoneum, pia mater, cerebrum, lien, renes, hepar, ossa cum periosteo, uterus cum tubis, testes cum prostata et vesiculis seminalibus, medulla spinalis alia; liberorum autem frequentissime afficiuntur glandulae lymphaticae et lien, tum pulmones cum membrana mucosa bronchiali, cerebrum, membranae serosae, organa reliqua in eodem ordine quo adultorum.

Tuberculosin glandularum lymphaticarum fere semper coniunctam observamus tum tuberculosi eorum organorum, ex quibus illarum vasa lymphatica veniunt. Sic saepissime tuberculosis laryngis et glandularum lymphaticarum bronchialium, intestinorum et glandularum abdominalium simul inveniuntur.

Nonnulla organa fere numquam tuberculosi occupantur, quae sunt, glandulae salivales, ovaria, vasa sanguinea, oesophagus, vagina, pharynx. Iam hic maxime dignum est commemoratu, quod pharynx numquam tuberculosi, quae saepissime in larynge pharyngi proximo observatur, afficitur.

Rarissimo tuberculosis corpus, quod morbis quibusdam iam occupatur, afficit, et vice versa, illi morbi tuberculosi praesente plerumque eodem corpore parcent. Nonnulli auctores quidem docebant, alterum altero morbo

praesente numquam advenire, sed iniuria. Eiusmodi morbi sunt, carcinoma, typhus, tumores colloidei, in iisque praecipue struma, morbi infectorii, ut pyaemia, febris puerperalis alia.

Necessaria ad tuberculosin procreandam genera causarum duo constituere debemus, alterum causarum disponentium, alterum excitantium. Causas prioris generis eas intelligimus, quae singulae vel una cum aliis coniunctae corpus vel totum vel ex parte tantum commutant, ita ut causis generis alterius accedentibus copia processuum et rerum pathologicorum exoriatur, quae tuberculosis appellari solet.

Causarum disponentium frequens est hereditas. Constat enim tuberculosin non minus esse hereditariam, quam multas alias res, quae et ad corpus et ad animum pertinent, vel physiologicas vel pathologicas, utut exostoses, haemophiliam, carcinomata, tumores colloideos, animi affectiones, tum figuram, faciem, cutis colorem, animi ingeniique indolem, alia. Plerumque tuberculoseos hereditas in familiaribus eiusdem sexus observatur. Cormak, una tantum causa, aeris corrupti respiratione, apta ad tuberculosin gignendam habita, etiam hereditatem plane reiicit. Dicit enim ille, familiares eiusdem sexus eam ob rem tuberculosi saepe affici, quia plerumque sub iisdem respirandi conditionibus vivant. Quibus verbis id veri inest, quod mala respiratio certo multum proficit ad tuberculosin procreandam, vel potius magis excolendam.

Omnia causarum disponentium fere frequentissima est, aeris corrupti respiratio. Quam tuberculoseos causam Baudelocque duce multi scriptores attulerunt. Attamen ab iis homines tuberculosi affecti saepissime in stabula iumentorum missi sunt, quum vel chlorum vel nitrogenium, quae aeri stabulae insunt, remedia haberentur tuberculosin sanantia. Iam vero quod homines tuberculosi affecti et in stabulis commemorati ad meliorem saepe redeunt valetudinem, minus aere efficitur, quum calore semper aequali. Aera enim stabulae exhalationibus omnis generis corruptum, neque unquam fere mutatum corpori esse commodo, plane non possumus putare. Cormak, ut iam commemoravi, tempore novissimo respirationem aeris corrupti esse unicam tuberculoseos causam dixit, sed iniuria. Exemplis autem, quae ipse profert, demonstratur, aeris mali respirationem non minus esse frequentissimam, quam efficacissimam tuberculoseos causam. Sic multa negotia, narrat, eam ab rem solam corpori sunt incommodo et tuberculosin paullatim gignunt, quia geri non possunt, nisi in conclavibus aditu aeris libero carentibus. Eiusmodi negotia sunt: sartorum, typographorum, sutorum, feminarum mundum muliebrem facientium, puellarum acu victum quaerentium, hominum in operibus illis, quae dicunt fabrilia, occupatorum, aliorum. Maxime dignum est illud exemplum a Cormak allatum, ex quo clare elucet, quantum aeris corrupti respiratio nocere potest. Homines enim fere

omnes, qui in urbe Anglica Sheffield in ferramentis acuendis sunt occupati, quum fragmenta ferrea pulmones perpetuo irritent atque paullatim plane debilitent, tuberculosi affecti pereunt, iam altera eorum pars in locis aditus aeris libero patentibus commemorantur, altera pars in locis fere ubique conclusis. Pars illa vitam degit plerumque ad annum quadragesimum, pars haec tantummodo ad annum vicesimum octavum vel trigesimum. Itaque pars illa, quae aera bonum respirat, fere decem annos longius vivit. Sed aeris corrupti respiratio non solum diurna, sed etiam nocturna corpus ad tuberculosin procreandam disponit, id quod in hominibus, qui per diem sub coelo vel in locis aeris aditui satis patefactis negotiantur, observatur. Iam negotia, quae fere vel vere sub coelo geruntur, sunt haec: navigatorum, fabrorum, paganorum, militum, hortulanorum, cerdonum, caementariorum, aliorum. Sed dum homines illi per diem optimo utuntur aere, per noctem in cubiculis minimis et hominibus multis completis dormiunt, ita ut plane non possimus mirari, quod illi tuberculosi affecti pereunt. Quam rem exemplum eodem a Cormak allatum demonstrat. Ex centinis enim equitibus levis armaturae praetorianis, qui Londini in castris stativis contenti sunt, atque per tempus quoddam in cubiculis aeris aditu carentibus dormiebant, quamdiu illa cubacula aeris aditui non patebant, numerus fere duplex tuberculosi affectus et mortuus est incolarum Londini caeterorum (6, 3^o/_o;

3, 7⁰/₀). Quae res eo magis miranda est, quod putemus necesse est equites illos usque ad primam militiam homines fuisse robustissimos, maximam vero partem incolarum Londini inde a partu corpore uti debili.

Aliae tuberculoseos causae sunt exercitationes minores, quam quae ad corpus conservandum satis faciant. Quam rem Krukenberg his paucis verbis exprimere solebat, plures homines tuberculosin nimis silendo sibi adsciscere, quam nimis loquendo.

Etiam aliae causae sunt nutritio haud sufficiens, cultus corporis neglectus, celeres et frequentes tempestatis mutationes, anni climacterici, quos dicunt, epidemiae, endemiae alia.


Plurimae caussarum disponentium more excitantium efficaces esse possunt. Caussae tantummodo excitantes sunt irritamenta mechanica vel chemica, refrigerationes alia.

Tuberculosin contagio progigni non minus negare debemus, quam eo modo, quo Cruveilhier volebat. Cruveilhier enim hydrargyro in vasa sanguinea infuso in pulmonibus acervulos tuberculis simillimos ortos tubercula vera habebat.

Quomodo tuberculosis et scrophulosis inter se cohaereant, fere usque ad tempus novissimum litigatum est. Quae lis ex ea re orta esse videtur, quia auctores, quod nominibus illis exprimere volebant, non consentiebant. Virchow duce scrophulosis est morbus vel imbecillitas

per totum corpus effusa, qua innisi multi morbi locales prodeant. Itaque tuberculosis, quam idem morbum localem vocat, eodem modo ad scrophulosin respicit, quo inflammationes scrophulosae ad scrophulosin ipsam. Attamen multa iniuria nonnulli auctores contendunt, tuberculosis semper ex scrophulosi prodire, certe eodem iure contendere possumus, omnes inflammationes chronicas ex scrophulosi oriri. Tuberculosis enim interdum etiam homines robustissimos et, ut dicunt quadratos afficit, in quibus si scrophulosin adesse putare vellemus, scrophulosis omni iure ridiculosissima medicinae formido vocari posset, ut Henle iam diu scrophulosin appellat. Item scrophulosis et tuberculosis numquam idem significant, id quod Cannstadt docet.

Etiam nomine Phthisis alii, alias res significabant. Nunc Morton duce phthisin appellamus consumptionem corporis ex ulceratione cum febre exortam, quo facto, quomodo tuberculosis et phthisis inter se cohaereant, facile intelligi potest. Ut saepissime, neque vero semper, tuberculosis ex scrophulosi oritur, sic etiam phthisis saepissime, neque minus semper ex tuberculosi oriri solet. Sed phthisis neque semper in tuberculosi invenitur, neque est, id quod multi intendebant, pulmonum solarum. Denique phthisin morbum vocare non possumus, sed tantummodo symptoma morbi cuiusdam.



V I T A.

Ego Adolphus Fridericus Leopoldus Stossmeister natus sum Molhusae Thuringorum, patre Friderico Augusto, matre Iohanna e gente Hoyerana, quos adhuc vivos intimo animo veneror; confesseoni sum addictus evangelicae. Primis literarum elementis imbutus Gymnasium adii Molhusanum, quod etiam nunc floret direttore Haun. Maturitatis testimonio instructus Gottingam petii, ubi Briegleb p. t. prorectore numero civium academicorum sum adscriptus. Tum Berolinum me contuli, inde anno peracto Halas adii, cuius p. t. rector Bruns civibus academicis me adscripsit, nomen apud spectatissimum gratiosi medicorum ordinis illo tempore decanum Ill. Blasium, professus sum.

Per quatuor et dimidium annum, quibus in universitatibus versatus sum, his interfui scholis

Gottingae:

Ill. Woehler de chemia, Ill. Sartorius de Waltershausen de mineralogia, Ill. Bartling de botanice, Ill. Weber de physice, Ill. Henle de osteologia, de anatomia generali et speciali, Ill. Wagner de physiologia, de anatomia comparata et embryologia, Ill. Baum de chirurgia generali, de fracturis et luxationibus, Doctiss. Schrader de pathologia et therapia generali, de toxicologia, Ill. Henle de arte cadavera rite dissectandi, Ill. Lotze de psychologia, Doctiss. Schuchardt de materia medica, de arte formulas medicas rite

concinnaudi, Beat. Fuchs de pathologia et therapia speciali, Doctiss. Spiegelberg de arte obstetricia.

Berolini:

Beat. Lichtenstein de zoologia, Clariss. Gruppe de logice, Ill. Langenbeck de aciurgia, Doctiss. Traube de auscultatione et percussione, Clariss. Schoelleri scholis obstetriciis adfui, Ill. Langenbeckii scholis adfui chirurgicis.

Halis:

Scholis interfui clinicis medicis apud Ill. Krukenberg et Vogel, chirurgico-ophthalmiatricis apud Ill. Blasium, obstetriciis apud Ill. Hohl; audiui Ill. Blasium de chirurgia, de arte fascias rite applicandi; de aciurgia. Clariss. Schultze de anatomia, Ill. Volkman de physiologia, Ill. Krahmer de medicina forensi.

Omnibus meis praeceptoribus dilectissimis pio animo gratias, quam possum maximas, ago.

Iam vero tentaminibus philosophico quam medico nec non examine riguroso rite superato, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Rhachitis et Osteomalacia, tantum modo, quod ad
aetatem hominum morbis illis affectorum pertinet,
inter se differunt.

II.

Cellulae semper ex cellulis oriuntur.

III.

Remedia morborum specifica non exstant.

Collect: A. C. KLEBS

from: Behr.

date: Apr. 1914. 754

c